

### XIXXIII.

Minoris probationem dare facile est. Concedendum enim Elementis præter vulgatas quatuor qualitates nullas inesse. Monstret ergo quis, qua ratione frigiditas, caliditas, siccitas, humiditas sive singula seorsim, sive quocunque vel indicibili modo mistæ rem vel lapidam vel odoratam efficere possint.

### XXIV.

Cum enim illis ipsis neque sapor, neque color vel odor insit, nihilq; ultra virtutem speciei suæ possit agere, non videmus, qua ratione unquam ex iis prælibatæ Qualitates resultare possint, & quomodo plus esse possit in composito, quam in simplicibus omnibus, quæ illud ingrediuntur.

### XXV.

Addimus & hoc: Si Elementa ex resolutione corporum indagare fas est, ut est, quid obstat, quo minus hæc Chymicorum dicta principia ex mistorum resolutione, non quidem naturali, sed violenta & artificiali (cujus major est certitudo, cum in ea partium resolutarum nulla perit, quod in naturæ resolutionibus accidit) investigare liceat? Quodvis enim corpus in ea, ex quibus, tanquam partibus materialibus actu inexistentibus constat, resolvi, certum est.

### XXVI.

An autem talia (Sal, Sulphur & Mercurius) è mistis corporibus eliciri possint, id vel solo Chymicorum laborum intuitu constare potest, & quicquid etiam contra afferatur, tanquam Experimentiæ certissimo scientiarum & artium fulcro repugnans, explodendum.

### XXVII.

Quid autem propriè sint, & quid in generatione corporum præstent hæc principia, è Chymicorum vulgarium libris jam quidem explicandum esset, sed nulli ferè ex illis in definiendis vel describendis hisce principiis sibi ipsis constant, sed modo

modo